



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

12. An Clerico habenti tantum primam Tonsuram sit largienda à
Confessario absolutio à suspensione, quatenus indigeat? Et late docetur,
an prima Tonsura sit Ordo? Et cursim asseritur, quod prima ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

facto manere absolutum. Ita Innoc. in cap. sicut, de cohabit. vir. & mulier. & in cap. ex litteris, de cons. hac enim suspensio est similis latae usque ad certum tempus, quia in ea videtur tacite inesse conditio, nisi recesset a contumacia, & satisfecerit. Secunda opinio in hoc eventus esse necessariam absolutionem. Ita Sylvester verb. suspensio, num. 8. & mihi placet, quia non video jus aliquod, quo sit statutum hanc suspensionem tolli ipso facto, ergo requiritur absolutio, neque probatur includere a principio eam conditionalem absolutionem, quia absolute fertur. Hæc Turrianus, cujus sententiam tenet etiam Suarez disput. 21. sect. 2. num. 14. Faber de cens. in 4. sent. dist. 25. q. 1. disp. 6. num. 14. Mercerus de Sacram. in 3. p. q. 24. dub. 5. Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. n. 2. Gordonus tom. 2. lib. 7. quest. 14. cap. 14. num. 76. & Portel. in dub. regul. verb. suspensio, num. 11.

2. Non desinam tamen hic adnotare insignem Iuriconsultum Covarruviam in epit. 4. Decret. p. 2. cap. 6. num. 15. docere suspensionem latam ob contumaciam æquiparari suspensioni latae ad certum tempus, & per se ipsam finiri cessante contumacia, ut proinde non sit opus absolutione alia. Fundatur hæc opinio in cap. ex intervis, de cons. & Can. Presbyter, 2. q. 5. Confirmatur, quia suspensio lata sub hac conditione, donec restituas, ut habetur cap. quia sepe, de elect. in 6. cessat per se ipsam impleta conditione, ut docet glossa, ergo hæc similiter. Rursus de excommunicatione majori specialiter est cautum, quod non tollatur per solam respicientiam absque absolutione, cap. cum desideres, de sent. excomm. Denique cap. quafrente, statuitur ab excommunicatione & interdicto absolutionem esse præstandam sub cautione juratoria, etiam parte contradicente, vel appellante, & nulla sit mentio suspensionis similiter tollendæ per absolutionem, ergo per se evanescit, & ita hanc sententiam præter Covarr. tenet ex Theologis Sayr. de cens. lib. 4. cap. 17. n. 8. Vnde puto hanc sententiam probabilem esse, quam præter Doctores citatos mordicus defendit ex nostris Pater Megalius in 3. p. lib. 5. cap. 2. quest. 1. n. 2. & 3. ubi respondet ad omnia argumenta, quæ pro negativa sententia adducit Suarez. Vide etiam Navarum cap. 27. num. 195. in fine, & Toletum lib. 1. cap. 47. num. 1.

Pro interdicto iof. in c. 4. lege doctrinam Ref. 23.

RESOL. XII.

An Clerico habenti tantum primam Tonsuram, sit largienda à Confessario absolutio à suspensione, quatenus indigeat?

Et late docetur, an prima Tonsura sit ordo?

Et cursum asseritur, quod prima Tonsura initiati gaudet privilegio Canonis, & sunt capaces beneficiorum, & si ordinantur ab Episcopo alieno, suspenduntur. Ex p. 10. tract. 4. & Misc. 4. Ref. 16. alias 14.

* Sup. hoc an Tonsura sit Ordo inf. in Ref. 25. §. 2. à lin. 3. & in Ref. 34. ad lin. 10. & in fin. §. penult. & seq. & inferius in Ref. 6. & 12. §. 2. à lin. 4. & in Ref. 13. §. 2. late à lin. 2. & in Ref. 14. curvatio intervenit in appendice in calce totius Voluminis, fin in fin. & cap. 6. defensionis Magia, per totum. Et ita docent

§. 1. Causa potest frequenter accidere: & ad illum affirmativè respondet accuratissimus Bau- cius in Miscell. tom. 1. q. 536. probatur hæc opinio, quia prima * Tonsura est Ordo. Et ita docet Iulius Cæsar Machius de Sacris Ordinib. cap. 2. n. 2. Nicolaus Garcias, de benefic. part. 7. cap. 1. n. 2. Augustinus Barbosa, de offic. & potest. Episcoporum, Alleg. 2. n. 16. & 17. Campanilis in divers. Iuris Canonici, rub. 2. n. 7. Thomas Vallascus, tom. 1. allegat. 3. num. 8. Franciscus Leo, in Thesaur. Fori Ecclesiastici, p. 1. cap. 4. n. 17. & novissimè pro hac sententia multa eruditè cumulavit Franciscus Torreblanca Cordubensis in sua Epitome de- lictorum, sub titulo De casibus, in quibus Dæmonium invocatio intervenit, in appendice in calce totius Voluminis, fin in fin. & cap. 6. defensionis Magia, per totum. Et ita docent

communiter Canonistæ, ut patet ex jure Canonico in eadem in cap. Cum contingat, de atate, & qualitate Or. & ordinand. prima Tonsura vocatur Ordo Clericalis, & eodem nomine vocat Glossa, in cap. Nullus, de uen. porib. ordinat. in 6. in verbo, Tonsura. Secundò, prima Tonsura initiati gaudet Clericorum privilegio, sunt enim capaces Beneficiorum, quorum sunt in- capaces laici, cap. 2. de Instit. & cap. Ex litteris, de transact. fruuntur privilegio Canonis. Si quis faciat, de Gloff. in d. cap. Cum contingat, Cum ergo Tonsura habeat privilegia aliorum Ordinum, meriti Ordo dici debet. Tertiò arguitur ex Concilio Triden- tino, sess. 14. de reform. cap. 2. ubi initiatum prima Tonsura ab alieno Episcopo sine licentia proprii sus- penditur: & sess. 23. de reform. cap. 5. & 6. eadem pro- hibitione ligat istos, quia & minoribus Ordinibus initiati. Cum ergo Concilium pares faciat quoad supradicta, signum est, voluisse inter Ordines esse in- cennumerandam Tonsuram.

2. Verum his non obstantibus, ego puto cum Theologis primam Tonsuram non esse Ordinem. Ita tenet 36. Doctores, quos citat, & sequitur Leander de Sacrament. tom. 1. tract. 6. disp. 1. quest. 4. quibus adde me citato Sapientissimum Dilectissimum de Sacrament. tom. 1. tract. 6. disp. 1. dub. 2. num. 18. Probatur, quia Ordo, qui est Sacramentum Ecclesie, constat ex materia, & forma: sed Tonsura nullam habet formam licet habeat pro materia capillum abscissionem: ergo Tonsura non est Ordo. Minor probatur: Nam verba illa relata in Pontificali Romano: Dominus pariter hereditatis mee, sunt caeremonia- lia, non substantialia: quare etiam sine illorum pro- latione quis fieret Clericus tonsuratus per solam translationem illius à statu Laicali ad Ecclesiasti- cum: quod concedunt plures Doctores. Denique, illud cui convenit talis definitio Ordinis, est Ordo: sed prima Tonsura non convenit talis definitio: Ordo enim definitur, quod sit Signaculum quod- dam, per quod spiritualis potestas tribuitur Ordina- to: sed prima Tonsura initiato nulla potestas tribui- tur, cum ad nullum certum officium in Ecclesia ha- bendum deputetur: & si ad aliquod deputetur, non tamen ordinatur per se ad Eucharistie ministrum, ad quod reliqui omnes Ordines ordinantur: non igitur prima Tonsura erit Ordo: sed potius erit ut solium, & dispositio ad formam.

3. Secundò, etsi Concilium Tridentinum hanc litem dirimere noluerit; si quis tamen attentè verba Concilii consideret, sanè cõspiciet, ipsam Theologo- rum opinioni valde favere: Nam sess. 23. c. 2. ait: Ut qui jam clericali tonsura insigniti sunt, per Minores ad Majores ascendant, quibus verbis distinguitur Con- cilium primam Tonsuram à minoribus Ordinibus. Quod etiam satis colligitur ex eo, quod idem Con- cilium in diversis capitulis de prima Tonsura, & mi- noribus Ordinibus egit, & c. 6. inquit: Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordini- bus constitutus ante decimum quartum annum Be- neficium possit obtinere. Itaque Concilium nunquam primam Tonsuram Ordinem vocat; imò eam ab Or- dinibus semper segregat. Hoc, omnis alius, clarè appa- ret in Concilio Carthaginensi quod plenius præce- teris de Ordinibus egit: nam in c. 3. tract. de Presby- tery ordinatione; c. 4. de Ordinatione Diaconis; c. 5. de ordinatione Subdiaconi; cap. 6. de ordin. Acolyti; c. 7. de ordinat. Exorcista; c. 8. de ordinatione Lectoris; cap. 9. de ordinatione Ostiarii: nullibi verò in eodem Conci- lio tractatur in Ordinum enumeratione de Tonsu- ra. Supposita igitur hac sententia tanquam veriori, & probabiliori, respondeo ad casum propositum in titulo hujus Resolutionis, initiatum tantum primam Tonsuram, non esse à Confessario absolvendum à sus- pensione.

pensione, quatenus indigeat. Et ita observant in pra-
xi fere omnes Confessarii.

RESOL. XIII.

An acta suspensio sit valida?
Et quid si suspensus sit occultus, & ab Ecclesia commu-
niter toleratus, & non sit specialiter denunciatus? Ex
p. 5. tract. 10. Ref. 11.

Respondeo actus quidem Ordinis, excepta ab-
solutione sacramentali, validos esse: at verò
actus, qui jurisdictionem postulant, per se in validi sunt,
cum suspensus sit privatus actuali jurisdictione, & jura
non minus de suspensione, quam de excommunicatione
id statuunt. Nihilominus si suspensus sit occultus
& ab Ecclesia communiter toleratus, acta ejus va-
lent, quia Ecclesia supplet defectum. Imo si suspensus
non sit specialiter denunciatus, quamvis quoad se sit
prohibitus, ne in officio ministeret ideò peccet, si id
ex sua sponte, ac ex se faciat, tamen quoad alios non
est privatus jurisdictione, ut in simili de excommuni-
catione dictum, & rectè docet Suarez *disp. 26. sect. 2.
n. 2.* & ita docet Tannerus *et. 4. disp. 6. q. 10. dub. 7. n.
13.* & vide etiam Avilam *part. 3. disp. 2. dub. 3. concl. 1. &
2. Cornejo in 3. part. 5. de suspens. disp. 2. dub. 1. q. 4.*

RESOL. XIV.

Antequam vitare suspensos in rebus, à quibus suspen-
si sunt?
Et quid si talis communicatio fuerit, sicut, quadam co-
operatio cum illo in delicto, & male usu ministerij, &
quando vero quis dicatur cooperari peccato suspensi?
Ex p. 5. tract. 10. Ref. 20.

Respondeo probabiliter, esse neminem teneri
ex vi praecepti Ecclesiastici vitare suspensum.
Ita Henricus *lib. 1. 3. de excomm. c. 5. §. 5. & c. 33. §. 3.* quem
sequitur Avila *3. part. de cens. dub. 4. disp. 2.* & probat
quia nullibi reperitur tale praeceptum prohibens
communicare cum suspensum, sicut datur praeceptum
prohibens communicare cum excommunicatis, quibus
Navarra *c. 27. num. 163.* innuit oppositum, & ratio
potest esse, quod suspensio non respicit per se commu-
nicationem cum fidelibus, sicut excommunicatio,
unde infer, quod secluso scandalo non erit peccatum
etiam veniale communicare cum suspensum
in actibus, à quibus suspensus est, nisi quando talis
communicatio fuerit, scilicet quadam cooperatio cum
illo in delicto, & malo usu ministerij, nam tunc erit
peccatum contra legem naturalem, & divinam, si qui-
dem cooperari peccato alterius intrinsecè malum est.
Quando verò quis dicatur cooperari peccato suspensi?
Respondetur quando suspensum non toleratum
extra casum necessitatis extreme inducit ad usum
actus prohibiti, aut si toleratus sit, tamen sine ulla
propter necessitate, aut utilitate, cum aliis non esset
paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus pro-
vocat ad talem usum, vel ei à latere ministerat, aut ad
exercitium actus prohibiti inferuit. Vnde per solam
assistentiam, quae est quadam pura communicatio, non
peccavit, atque ita si suspensus ab ingressu Ecclesiae
illam ingrediatur, ut divina Officia audiat, non teneor
exire, imo si suspensus ab ordine, licet denunciatus
Missam celebret, poterit audire licet, modò Altari non
ministeret, & haec omnia docet Cornejo *in 3. part. 4. §.
de suspens. disp. 2. dub. 1.* Vnde ex his inferitur non be-
nè docere Bonacinam *de cens. disp. 3. punct. 4. n. 2.* &
Tannerus

Megalium *in 3. p. lib. 5. c. 3. q. 1. n. 2.* si suspensus Missam
celebret, peccare mortaliter assistentes in dicta Mis-
sa, nam contrarium ex Cornejo *ubi supra*, dicendum
est, cui etiam adde Suarez *disp. 34. sect. 3. n. 4.* Avilam
part. 3. disp. 2. dub. 4. concl. 4. ubi sic ait. Ex dictis se-
quitur quod licet aliquis sit suspensus ab ingressu
Ecclesiae, & ingrediatur illam ad audienda Officia di-
vina, non teneor exire de Ecclesia, imò licet sit sus-
pensus à divinis Officiis, & sit nominatim denun-
ciatus, & tamen dicat Missam, non pecco eam au-
diendo, si non induxi eum. Ita Pater Henricus, & aliqui
Magistri, intellige nisi ministrem illi ad Altare. Se-
cundo sequitur id, quod ait Navarra *c. 27. num. 163. in fi-
ne*, scilicet quod sicut tenemur vitare excommunica-
tum, ita tenemur vitare suspensum in eo in quo est
suspensus, si generaliter intelligatur falsum est, so-
lum enim habet verum in duobus casibus secundae
conclusionis. Vide etiam Sayrus *lib. 4. c. 11. num. 6.* &
Henriquez *lib. 13. c. 33. n. 3.* Praepositum in *3. part. q. 3.
de suspens. dub. 3. n. 27.*

RESOL. XV.

An suspensus ab officio sit suspensus à beneficio?
Et an suspensus ab officio sit privatus à fructibus bene-
ficij?
Et in §. ultimo huius Resolutionis alia notabilia inferun-
tur, & explanantur pro praxi suspensionis ab officio
& Ordine. Ex p. 5. tract. 10. Ref. 1.

Quidam universè affirmant, in quibus glossa
in cap. latores, de Clerico excommunicato mini-
strante. Alij verò Canonistae asserunt de suspensione
ab homine, non de suspensione à iure, ut refert glos-
sa in Clem. episcopus, de poenis, & in c. 11. de re judicata.
Alij contra asserunt de suspensione ab officio si sit ju-
ris, non verò si sit ab homine; ut refert Glossa in cap.
praeter, distinct. 23. Valent. q. 18. punct. 1. distinguendo
dicit à beneficio suspensum esse, si quis simpliciter
ab officio, adeoque ab omni officio sit suspensus, alias
non; & citat in eandem sententiam Sylvestrum *ver.
suspensio, n. 5.* & Covarruviam *epit. 4. part. 2. c. 6. n. 13.
& 14.* sed cujus paulò diversa est distinctio. Henriquez
lib. 13. c. 32. n. 3. affirmat de eo, qui ob grave crimen
absolute suspensus est ab officio, & in perpetuum, ut
homicida Parochus, negat de aliis, idemque ferè sen-
tit Covarr. *loc. cit.* & ratio horum omnium esse potest,
quia beneficium non datur nisi propter officium, cap.
ult. de rescript. in 6. ergo suspensus ab officio, tanquam
radice, & fundamento, consequenter suspenditur à
beneficio, quia accessorium sequitur suum principa-
le, beneficium verò est accessorium respectu officij
argum. cap. si quis obierit, 1. q. 3. Confirmatur, quia
excommunicatio privat fructibus, eo quod excom-
municatus sit privatus omni usu officij Ecclesiastici,
ergo similiter suspensio. Ita glossa in cap. latores, de Cle-
rico excommunicato ministrante.

2. Sed his non obstantibus absolute ego contra-
riam sententiam teneo. Dico igitur suspensionem ab
officio per se non includere suspensionem à benefi-
cio, & idè non privare fructibus beneficij, quia di-
versa poenae sunt suspensio ab officio, & suspensio à
beneficio, & potest una executioni mandari sine alte-
ra, si videlicet suspensus ab officio interim beneficij
temporalem administrationem gerat, & fructus per-
cipiat, officio verò quatenus ei concessum est si satisfa-
cere paratus sit, videlicet horas Canonicas recitando,
& ad alia munia Ecclesiastica Vicarium constituen-
do, & ita docet Vgolinus *de cens. tab. 4. cap. 6. §. 3.*

Sup hoc inf.
ex Ref. 62.
lege §. ult.